

**XXVI. IANVARII.  
DE S. PAVLA VIDVA ROMANA,  
BETHLEHEMI IN IVDÆA.  
VITA AVCTORE S. HIERONYMO.**

**PRÆFATIO.**

[1] Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem. Nobilis genere, [Paula nobili genere orta,] sed multo nobilior sanctitate: potens quondam diuitiis, sed nunc Christi paupertate insignior. Gracchorum stirps, soboles Scipionum, Paulli heres, cuius vocabulum trahit, a Marcia Papiriæ matris Africani vera & germana progenies: Romæ prætulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia, informis luti vilitate mutauit. Non mœremus, quod talem amisimus; sed gratias agimus, quod habuimus, imo habemus. Deo enim viuunt omnia: & quidquid reuertitur ad Dominum, in familiæ numero computatur. Quamquam amissio illius, cælestis domus habitatio sit: quæ quamdiu in corpore fuit, peregrinata est a Domino. & voce semper flebili querebatur, dicens: Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. Nec mirum, si planxerit se versari in tenebris, (hoc enim Cedar interpretatur) cum mundus in maligno positus sit: & sicut tenebræ illius, ita & lumen eius, [ad cælum, vt patriam, anhelat:] luxque in tenebris luceat, & tenebræ eam non comprehenderunt: Vnde & illud crebrius inferebat: Aduena sum & peregrina sicut omnes patres mei. [Psal. 38. 13. Philip. 1. 23.] Et iterum: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quoties autem infirmitate corpusculi (quam incredibili abstinentia & duplicatis contraxerat ieiuniis) vexabatur, hoc in ore voluebat: Subiicio corpus meum, & in seruitutem redigo:

ne aliis prædicans, ipsa reprobata inueniar. [I. Cor. 9. 27. Rom. 14. 21. Psa. 34. 13. & 40. 4. & 31. 4.] Et: Bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare. Et: Humiliaui in ieiunio animam meam, & Totum lectum meum versasti in infirmitate mea, & versata sum in miseria, dum mihi configitur spina. Atque inter doloris aculeos, quos mira patientia sustinebat, quasi apertos sibi cælos adspiceret, loquebatur: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Testor Iesum & sanctos Angelos eius, ipsumque proprium Angelum, qui custos fuit & comes admirabilis feminæ, me nihil in gratiam, nihil dicere more laudantium; sed quidquid dicturus sum, pro testimonio dicere, & minus eius esse meritis, [ab omnibus laudata.] quam totus orbis canit, Sacerdotes mirantur, Virginum chori desiderant, monachorum & pauperum turbæ deplangunt. Vis, lector, eius breuiter scire virtutes? Omnes suos pauperes pauperior ipsa dimisit. Nec mirum de proximis & familiola, quam in vtroque sexu de seruis & ancillis in fratres sororesque mutauerat, ista proferre; cum Eustochium Virginem, & deuotam Christo filiam, in cuius consolationem libellus hic cuditur, procul a nobili genere, sola fide & gratia diuitem reliquerit.

### Annotatum

MS. S. Maximini, Metiæ. Fuit Papiria C. Papirij Masonis filia, vxor L. Æmilij Paulli, cui Fabium & Africanum iuniorem Æmilianos peperit.

### CAPVT I.

Paulæ ortus, coniugium, viduitas,  
discessus e patria.

[2] Carpamus igitur narrandi ordinem. Alij altius repetant, & a cunabulis eius, ipsisque (vt ita dicam) crepundiis matrem Blæsillam, & Rogatum proferant patrem:

[Parentum nobilitas & honores:] quorum altera Scipionum Gracchorumque progenies est, alter per omnes fere Græcias vsque hodie stemmatibus & diuitiis ac nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere, qui decennali Troiam obsidione deleuit. Nos nihil laudabimus, nisi quod proprium est, & de purissimo sanctæ mentis fonte profertur. Quamquam Dominus atque Saluator in Euangelio doceat Apostolos, sciscitantes quid sibi redditurus sit, qui omnia sua pro nomine eius dimiserunt, centuplum inpræsentiarum recepturos, & in futuro vitam æternam. [Matth. 10. 28. Matth. 19. 28.] Ex quo intelligimus, non laudis esse possidere diuitias, sed pro Christo eas contemnere: [quibus contemptis celebrior.] non timere ad honores, sed pro Dei fide eos paruipendere. Vere quod pollicitus est seruis suis & ancillis Saluator, reddit in præsentem. Nam quæ vnus Urbis contempsit gloriam, totius orbis opinione celebratur: quam Romæ habitantem nullus extra Romam nouerat, latentem in Bethlehem & barbara & Romana terra miratur. Cuius enim gentis homines ad sancta loca non veniunt? Quis autem in sanctis locis, præter Paulam, quod plus inter homines miraretur, inuenit? Hæc, sicut inter multas gemmas pretiosissima gemma micat, & iubar solis paruos igniculos stellarum obruit & obscurat; ita cunctorum virtutes & potentias sua humilitate superauit, minimaque fuit inter omnes, vt omnium maior esset: & quanto se plus deiiciebat, tanto magis a Christo subleuabatur. Latebat, & non latebat. Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores. Sed quid ago, narrandi ordinem prætermittens? Dum in singulis teneor, non seruo præcepta dicendi.

[3] Tali igitur stirpe generata, iuncta est viro Toxotio, qui Æneæ & Iuliorum altissimum sanguinem trahit. [Nupta Toxotio,] Vnde etiam Christi Virgo filia eius Eustochium Iulia nuncupatur, & ipse Iulius a magno demissum nomen

**Iulo. Et hæc dicimus, non quod habentibus grandia sint, sed quod contemnentibus mirabilia. Seculi homines suspiciunt eos, qui his pollent privilegiis, nos laudamus qui pro Salvatore ista despexerint: & mirum in modum, quos habentes paruipendimus, si habere noluerint, prædicamus. His, inquam, orta maioribus, & fecunditate ac pudicitia probata, primum viro, deinde propinquis, & totius Urbis testimonio, cum quinque liberos edidisset, Blæsillam, super cuius morte eam Romæ consolatus sum: Paulinam, quæ sanctum & admirabilem virum, & propositi & rerum suarum Pammachium reliquit hæredem, ad quem super obitu eius paruulum libellum edidimus: Eustochium, [ei liberos quinque parit:] quæ nunc in sanctis locis virginitatis & Ecclesiæ monile pretiosum est: Ruffinam, quæ immaturo funere pium matris animum consternauit: & Toxotium, post quem parere desiit, vt intelligeres, eam non diu seruire voluisse officio coniugali, sed mariti desiderio, qui marem optabat, liberos edidisse.**

**[4] Postquam vir mortuus est, ita eum planxit, vt prope ipsa moreretur: ita se conuertit ad Domini seruitutem, [vidua summa benignitate pauperes fouet.] vt eius mortem videretur optasse. Quid ego referam, amplæ & nobilis domus, & quondam opulentissimæ, omnes pene diuitias in pauperes erogatas? Quid in cunctos clementissimum animum & bonitatem, etiam in eos quos numquam viderat euagantem? Quis inopum moriens, non illius vestimentis obuolutus est? Quis clinicorum non eius facultatibus sustentatus est? quos curiosissime tota vrbe perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos, maiorem se eis hæreditatem Christi misericordiam dimittere loquebatur.**

**[5] Nec diu potuit excelsi apud seculum generis, & nobilissimæ familiæ visitationes & frequentiam sustinere. Mærebat honore suo, & ora laudantium declinare ac**

fugere festinabat. Cumque Orientis & Occidentis Episcopos, ob quasdam Ecclesiarum dissensiones, Romam Imperiales litteræ contraxissent, vidit admirabiles viros, Christique Pontifices, Paulinum Antiochenæ vrbis Episcopum, & Epiphanium Salaminæ Cypri, [S. Epiphanium hospicio excipit:] quæ nunc Constantia dicitur: quorum Epiphanium etiam hospitem habuit: Paulinum in aliena manentem domo, quasi proprium, humanitate possedit. Quorum accensa virtutibus, per momenta patriam deserere cogitabat: non domus, non liberorum, non familiæ, non possessionum, non alicuius rei quæ ad seculum pertinet, memor; sola, si dici potest, & incommunita, ad eremum Antoniorum atque Paulorum pergere gestiebat. Tandemque exacta hieme, aperto mari, redeuntibus ad Ecclesias suas Episcopis, & ipsa voto cum eis ac desiderio nauigauit. [magna animi constantia inter affectus Roma soluit,] Quid ultra differo? Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & quod his maius est, liberis prosequentibus, & clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Iam carbasa tendebantur, & remorum ductu navis in altum protrahebatur. Paruus Toxotius supplices manus tendebat in littore: Ruffina iam nubilis, vt suas exspectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat: & tamen illa siccos tendebat ad cælum oculos, pietatem in filios pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, vt Christi probaret ancillam. Torquebantur viscera, & quasi a suis membris distraheretur, cum dolore pugnabat: in eo cunctis admirabilior, quod magnam vinceret caritatem. Inter hostium manus & captiuitatis duram necessitatem nihil crudelius est, quam parentes a liberis separari. Hoc contra iura naturæ plena fides patiebatur, imo gaudens animus appetebat, & amorem filiorum maiore in Deum amore contemnens, in sola Eustochio, [cum filia Eustochio,] quæ & propositi & nauigationis eius comes erat, acquiescebat. Sulcabat interim navis mare, & cunctis, qui cum ea vehebantur, littora respicientibus,

ipsa auersos tenebat oculos, ne videret, quos sine tormento videre non poterat. Fateor, nulla sic amavit filios, quibus antequam proficisceretur, cuncta largita est, exhæredans se in terra, vt hæreditatem inueniret in cælo.

### Annotata

Ea est epistola 26. quam ita concludit. In calce epistolæ recordatus sum quadrigæ vestræ, & proposito quintam deesse Blæsillam, quæ prima de vobis præcessit ad Dominum. Vere nunc quinque in tres ac duas videmus esse diuisas. Illa cum sorore Paulina dulci somno fruitur; tu duarum medius ad Christum leuius subuolabis. Quadrigam constituebant Pammachius Paula, Eustochium, Paulina. Pammachio tribuit prudentiam, iustitiam Paulæ, fortitudinem Eustochio, Paulinæ temperantiam. Colitur S. Pammachius 30. Augusti, quem S. Hieronymus sæpe S. Paulæ filium appellat.

De S. Eustochio infra sæpius colitur 28. Septemb.

Hæ vt infra num. 5. in discessu matris nubilis erat; nupta dein viro clarissimo Alethio, ad quem S. Paulinus Episcopus Nolanus scripsit epistolam 33. consolans eum super obitu Ruffinæ, cuius præclaras virtutes enarrat.

[Clinicus.] Clinicus hic, vt alibi supra, pro ægro vsurpatum, qui lecto affixus decumbit, nec se mouere potest. κλίνη, lectus S. Cyprianus epist. 76. paralyticum Ioannis 5. clinicum vocat: Ego enim qui clinicum de Euangelio noui.

### CAPVT II.

Iter maritimum in Syriam:  
inde terrestre Hierosolymam.

[6] Delata ad insulam a Pontiam, quam clarissimæ quondam feminarum sub Domitiano Principe pro confessione nominis Christiani Flaviæ Domitillæ nobilitavit exilium: [S. Flaviæ Domitillæ exilij locum contemplatur:] vidensque cellulas, in quibus illa longum martyrium duxerat, sumptis fidei alis Ierosolymam & sancta loca videre cupiebat. Tardi erant venti, & omnis pigra velocitas. Inter Scyllam & Charybdim Adriatico se credens pelago, quasi per stagnum venit Methonen: ibique refocillato corpusculo, & sale tabentes artus in littore ponens, per Maleam & Cytheram, sparsasque per æquor Cycladas, & crebris freta consita terris; post Rhodum & Lyciam, tandem vidit Cyprum: [in Cypro Epiphaniij hospes:] vbi sancti & venerabilis Epiphaniij pedibus prouoluta, decem ab eo diebus retenta est: non in refectionem, vt ille arbitrabatur, sed in opus Dei, vt re comprobatum est. Nam omnia illius regionis lustrans monasteria, prout potuit, [multa isthic largitur monachis:] refrigeria sumptuum Fratribus dereliquit, quos amor sancti viri de toto illuc orbe conduxerat.

[7] Inde breui cursu transfretavit Seleuciam, de qua ascendens Antiochiam, sancti Confessoris Paulini modicum caritate detenta, [appellit in Syriam:] media hieme, calente ardore fidei, femina nobilis, quæ prius eunuchorum manibus portabatur, asello sedens, profecta est. Omitto Cœles Syriæ & Phœnices iter, (neque enim hodæporicon eius disposui scribere) ea tantum loca nominabo, quæ sacris voluminibus continentur.

[8] Beryto Romana colonia, & antiqua vrbe Sidone derelicta, [lustrat loca maritima Palæstinæ;] in Sarepthæ littore Eliæ est ingressa turriculam: in qua adorato Domino Salvatore, per arenas Tyri, in quibus genua Paulus fixit, peruenit ad Coth, quæ nunc Ptolemais dicitur: & per campos Mageddo, losiæ necis conscios, intrauit terram Philistiim. [2. Par. 35.] Mirata ruinas Dor, vrbis

quondam potentissimæ, & versa vice Stratonis turrim, ab Herode Rege Iudææ in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupatam, in qua Cornelij domum, Christi vidit ecclesiam, & Philippi ædiculas, & cubicula quatuor Virginum Prophetarum. Deinde Antipatrida semirutum oppidulum, quod de patris nomine Herodes vocauerat: & Lyddam versam in Diospolim, Dorcadis atque Æneæ resurrectione ac sanitate inclytam. [Actor. 9.] Haud procul ab ea Arimathiam, viculum Ioseph qui Dominum sepeliuit: & Nobe urbem quondam Sacerdotum, nunc tumulum occisorum. [I. Reg. 21. 1. & 22. 19.] Ioppen quoque fugientis portum Ionæ: & (vt aliquid perstringam de fabulis poetarum) religatæ ad saxum Andromedes spectatricem.

[9] Repetitoque itinere Nicopolim, quæ prius Emaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in ecclesiam dedicauit. [Lucæ 24. 35.] Atque inde proficiscens, [vicina Hierosolymis,] ascendens Bethoron inferiorem & superiorem, vrbes a Salomone conditas, sed varia postea bellorum tempestate deletas: ad dexteram aspiciens Haialon & Gabaon, vbi Iesus filius Naue contra quinque Reges dimicans, soli imperauit & Iunæ, & Gabaonitas ob dolos & insidias fœderis impetrati, in aquarios lignariosque damnauit. In Gabaa, vrbe vsque ad solum diruta, paullulum substitit, recordata peccati eius, & concubinæ in frustra diuisæ, & tribus Benjamin trecentos viros propter Paulum Apostolum reseruatos. [Iud. 19. & 20.]

[10] Quid diu moror? Ad læuam mausoleo o Helenæ derelicto, [loca sacra Ierosolymitana.] quæ Adiabenorum regina in fame populum frumento iuuerat, ingressa est Ierosolymam, urbem trinominem, Iebus, Salem, Ierusalem, quæ ab Ælio postea Hadriano de ruinis & cineribus ciuitatis in Æliam suscitata est. Cumque Proconsul Palæstinæ, qui familiam eius optime nouerat, præmissis



apparitoribus iussisset parari prætorium, elegit humilem cellulam: & cuncta loca tanto ardore ac studio circumiuit, vt nisi ad reliqua festinaret, a primis non posset abduci. Prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingressa sepulcrum resurrectionis, osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amouerat Angelus. Et ipsum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas, fideli ore lambebat. Quid ibi lacrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Ierosolyma, testis est ipse Dominus quem rogabat. Inde egrediens ascendit Sion, quæ in arcem vel speculam vertitur. [2. Reg. 5. 7. Isaïæ 29. 1.] Hanc urbem quondam expugnauit & reædificauit David. De expugnata scribitur: Væ tibi ciuitas Ariel, id est, leo Dei; & quondam fortissima, quam expugnauit David. Et de ea, quæ ædificata est, dictum est: Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. [Psal. 86. 1.] Non eas portas, quas hodie cernimus in fauillam & cinerem dissolutas; sed portas, quibus non præualet infernus, & per quas credentium ad Christum ingreditur multitudo. Ostendebatur illi columna ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus. Monstrabatur locus, vbi super centum viginti credentium animas Spiritus sanctus descendisset, vt Ioëlis vaticinium compleretur. [Ioel. 2. 28.]

### Annotata

Ponticæ, siue Pontia, insula est maris Tyrrheni, Volsco littori obiecta, inter Circeium promontorium & Taracinam. [Pontia insula.] De ea agunt veteres, Plinius lib. 3. cap. 6. Mela lib. 2. cap. 7. Suetonius in Caligula cap. 15 & alij.

S. Flauiam Domitillam, Flauij Clementis Consulis ex sorore neptem, in insulam Pontiam relegatam, quando se

**Christianam esse testata est, scribit Eusebius in Chron. anno Domitiani 16. De ea agemus 7. Maij.**

**Quæ proinde nihil necesse erit vt explicemus, vulgo e sacris libris nota, vel ex eiusdem Hieronymi libro de locis Hebraicis. Atque vt sint omnia a Paula Iustrata insigni cum pietate, non tamen singula peculiari aliquo monumento virtutis consignata.**

### **CAPVT III.**

#### **Iter in Bethlehem, & ad mare mortuum.**

**[11] Deinde pro facultatula sua pauperibus atque conseruis pecunia distributa, perrexit Bethlehem, & in dextera parte itineris stetit ad sepulchrum Rachel, in quo mater Benjamin, [Bethlehem petit:] non vt vocauerat moriens, Benoni, hoc est filius doloris mei; sed vt pater prophetizauit in spiritu, filium dexteræ procreauit. [Genes. 35.] Atque inde Bethlehem ingressa, & in specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, [locum natiuitatis Christi veneratur,] & asinus præsepe Domini sui, vt illud impleretur, quod in eodem Propheta scriptum est: Beatus qui seminat super aquas, vbi bos & asinus calcant; Me audiente iurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepi Dominum, [maxima fide:] Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes vt viderent verbum quod factum erat, & iam nunc Euangelistæ Ioannis principium dedicarent: In principio erat Verbum, & Verbum caro factum est: paruulos interfectos, Herodem sæuientem, Ioseph & Mariam fugientes in Ægyptum: mixtisque gaudio lacrymis loquebatur: [Isaiaë 32. 20., Ioan. 1.]**

[12] [Bethlehem pie salutatur:] Salve Bethlehem, domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cælo descendit. Salve Ephrata regio vberima atque, cuius fertilitas Deus est. De te quondam Michæas vaticinatus est: Et tu Bethlehem domus Ephrata, non minima es in millibus Iuda. [Matt. 5. 2.] Ex te mihi egredietur, qui sit Princeps in Israel: & egressus eius ab initio, a diebus æternitatis. Propterea dabis eos vsque ad tempus parientis. Pariet, & reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel. In te enim natus est Princeps, qui ante luciferum genitus est: cuius de Patre natiuitas omnem excedit ætatem. Et tam diu in te Dauidici generis origo permansit, donec Virgo pareret, & reliquiæ populi credentis in Christum conuerterentur ad filios Israel, & libere prædicarent: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. [Actor. 13. 46. Matth. 15. 24. Gen. 49. 10.] Dixerat enim Deus: Non veni nisi ad oues perditas domus Israel. Et eo tempore Iacob super ea verba completa sunt: Non deficiet Princeps ex Iuda, & Dux de femoribus eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit exspectatio gentium. Bene David iurabat, bene vota faciebat, dicens: Si introiero in tabernaculum domus meæ; si ascendero in lectum strati mei; si dederero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis; donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob: & statim, quid desideraret, exposuit, atque oculis prophetalibus, quem nos venisse iam credimus, ille venturum esse cernebat. [Psal. 131.] Ecce audiui eum in Ephrata, inuenimus eum in campis siluæ. Vau quippe sermo Hebraicus, vt te docente didici, non Mariam matrem Domini, hoc est, sed ipsum, id est, significat. Vnde loquitur confidenter: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Et ego misera atque peccatrix, digna sum iudicata deosculari præsepe, in quo Dominus paruulus vagiit? orare in spelunca, in qua Virgo puerpera Dominum

**fudit infantem? Hæc requies mea, quia Domini mei patria est: hic habitabo, quoniam Saluator elegit eam. Paravi lucernam Christo meo. Anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi.**

**[13] [alia religiosa circa Bethlehem loca visit:] Haud procul inde descendit ad turrim Ader, id est, gregis: iuxta quam Iacob pavit greges suos, & pastores nocte vigilantes audire meruerunt, Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ voluntatis. [Luc. 2. 14.] Dumque seruant oves, inuenerunt Agnum Dei puro & mundissimo vellere, quod in ariditate totius terræ, cælesti rore complutum est: & cuius sanguis tulit peccata mundi, & exterminatorem Ægypti litus in postibus fugauit. [Exodi 12.] Statimque concito gradu, cæpit per viam veterem pergere; quæ ducit Gazam, ad potentiam vel ad diuitias Dei, & tacita secum voluere, quomodo eunuchus Æthiops, gentium populum præfigurans, mutauerit pellem suam: & dum vetus relegit Instrumentum, fontem reperit Euangelij. [Actor. 8.] Atque inde ad dexteram, trāsita Bethsur, venit Escol, quæ in botrum vertitur. Vnde in testimonium terræ fertilissimæ, (& in typum eius, qui dicit, Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum) exploratores botrum miræ magnitudinis portauerunt. [Isa. 63. 3.] Nec post longum spatium intrauit Saræ cellulas, videns incunabula Isaac, & vestigia quercus Abraham, sub qua vidit diem Christi, & lætatus est. [Gen. 18.]**

**[14] Atque inde consurgens, ascendit Chebron: hæc est Cariatharbe, id est, oppidum virorum quatuor, Abraham, [lustrat Hebronem,] Isaac, Iacob, & Adam magni, quem ibi conditum, iuxta librum Iesu Naue, Hebræi autumant: licet plerique Caleb quartum putent, cuius ex latere memoria monstratur. [Ios. 14. 15. Ios. 15. Iudic. 1.] His inspectis, noluit pergere ad Cariathsepher, id est, viculum litterarum: quia contemnens occidentem litteram, repererat spiritum viuificantem. Magisque mirabatur**

superiores & inferiores aquas, quas Othoniel filius Iephonæ Kenaz pro Australi terra & arida possessione susceperat: & quarum ductu siccos prioris Instrumenti agros faciebat irriguos, vt redemptionem veterum peccatorum in aquis baptismi reperiret. Altera die, orto iam sole, stetit in supercilio Caphar Barucha, [& loca vicina mari mortuo.] id est, villæ benedictionis: quem ad locum Abraham Dominum prosecutus est. [Gen. 18. 17.] Vnde latam despiciens solitudinem, ac terram quondam Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, contemplata est Balsami vineas in Engaddi, & Segor vitulam conternantem, quæ prius Bala vocabatur: & in Zoaram, id est paruulam, Syro sermone translata est. [Gen. 19.] Recordabatur speluncæ Lot, & versa in lacrymas Virgines socias admonebat, cauendum esse vinum, in quo est luxuria, cuius opus Moabitæ sunt & Ammonitæ.

### **Annotata**

Id est, trimam. Alias conternare est ternos comparare; vt combinare, binos. Consternantem hic alij legunt. MS. S. Max. consternatam. Vide Rosveydi Onomasticon.

### **CAPVT IV.**

#### **Iter ad Iordanem; in Galilæam, & Samariam.**

[15] Diu hæreo in meridie, vbi sponsa cubantem reperit sponsum, & Ioseph inebriatus est cum fratribus suis. [Cant. 1. 6. Gen. 43.] Reuertar Ierosolymam, & per Thecuam a atque Amos rutilantem montis Oliueti lucem adspiciam, de quo Saluator ascendit ad Patrem. [Visitat loca sancta circa Ierusalem;] In quo per annos singulos vacca ruffa in holocaustum Domino cremabatur, & cuius cinis expiabat populum Israël: in quo, iuxta Ezechielem, Cherubim de templo transmigrantes, Ecclesiam Domini fundauerunt. [Num. 19. Ezech. 10. 18.] Post ingressa sepulcrum Lazari, Mariæ & Marthæ vidit hospitium, &

**Bethphage, villam sacerdotalium maxillarum: & locum, in quo pullus lasciuens Gentium, Dei fræna suscepit: Apostolorumque stratus vestibus, mollia terga præbuit ad sedendum. [Lucæ 19.]**

**[16] Rectoque itinere descendebat Iericho, recogitans illum de Euangelio vulneratum, ac Sacerdotibus & Leuitis, mentis feritate prætereuntibus, clementiam Samaritæ, id est, custodis, qui seminecem suo iumento impositum, ad stabulum Ecclesiæ deportauit. [Lucæ 10.] Et locum Adomim, quod interpretatur, [Iericho,] sanguinum, quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incursibus. Et arborem sycomorum Zacchæi, id est, bona pœnitentiæ opera, quibus cruenta dudum & noxia rapinis peccata calcabat, excelsumque Dominum de excelso virtutum intuebatur. [Lucæ 19.] Et iuxta viam cæcorum loca, qui receptis luminibus vtriusque populi credentis in Dominum sacramenta præmiserant. Ingressa Iericho, vidit urbem, quam fundauit Hiel in Abiram primogenito suo, & cuius portas posuit in Segub nouissimo filiorum. [3. Reg. 16. 34.] Intuita est castra Galgalæ, & aceruum præputiorum, & secundæ circumcisionis mysterium, & duodecim lapides, qui de Iordanis illuc translati alueo, duodecim Apostolorum fundamenta firmauerant: & fontem quondam legis amarissimum & sterilem, quem verus Elisæus sua condiuit sapientia, & in dulcorem vbertatemque conuertit. [4. Reg. 2. 21.] Vix nox transierat, feruentissimo æstu venit ad Iordanem. Stetit in ripa fluminis, & orto sole, Solis iustitiæ recordata est, quomodo in medio amnis alueo sicca Sacerdotes posuerint vestigia: & ad Eliæ & Elisei imperium, stantibus ex vtraque parte aquis, iter vnda præbuerit: pollutasque diluio aquas, & totius humani generis interfectione maculatas, suo Dominus mundauerit baptismate. [Ios. 3., 4. Reg. 2. 14.]**

[17] Longum est, si velim de valle Achor dicere, id est, tumultus atque turbarum, in qua furtum & auaritia condemnata est: & de Bethel domo Dei, in qua super nudam humum, nudus & pauper dormiuit Iacob: & posito subter caput lapide, qui in Zacharia septem oculos habere describitur, & in Isaia lapis dicitur angularis; vidit scalam vsque ad cælum tendentem, in qua Dominus desuper innitebatur, [montes Ephraim,] ascendentibus porrigens manum, & negligentes de sublimi præcipitans. [Ios. 7., Gen. 28., Zach. 3. 9., Isa. 28. 16.] Sepulcra quoque in monte Ephraim Iesu filij Naue, & Eleazari filij Aaron Sacerdotis, e regione venerata est: quorum alter conditus est in Tamnathsare a Septemtrionali parte montis Gaias; alter in Gabaa filij fui Phinees: satisque mirata est, quod distributor possessionum sibi montana & aspera delegisset. Quid narrem Silo, in qua altare dirutum hodieque monstratur, & raptum Sabinarum a Romulo, tribus Beniamitica præcucurrit? [Iud. 21.]

[18] Transiuit Sichem, non vt plerique errantes legunt, Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur, & ex latere montis Garizim extructam circa puteum Iacob intrauit ecclesiam: [Samaritam,] super quo residens Dominus, sitiensque & esuriens, Samaritanæ fide satiatus est: quæ quinque Moysaicorum voluminum viris, sextoque, quem se habere iactabat, errore Dosithei derelicto, verum Messiam & verum reperit Salvatorem. Atque inde diuertens vidit duodecim Patriarcharum sepulchra, & Sebasten, id est, Samaritam, quæ in honorem Augusti ab Herode Græco sermone Augusta est nominata. Ibi siti sunt Elisæus & Abdias prophetæ, & (quo maior inter natos mulierum non fuit) Ioannes Baptista. Vbi multis intremuit consternata mirabilibus: [sepulcra SS. Elisæi, Abdicæ, Io. Baptistæ.] namque cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulcra Sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum. Alios rotare caput, & post

tergum terram vertice tangere: suspensisque pede feminis, vestes non defluere in faciem. Miserebatur omnium, & per singulos effusis lacrymis, Christi clementiam deprecabatur. Et sicut erat inualida, ascendit pedibus montem: in cuius duabus speluncis, persecutionis & famis tempore Abdias Propheta centum Prophetas aluit pane & aqua. [3. Reg. 18.] Inde cito itinere percucurrit Nazareth, nutriculam Domini, Canan & Capharnaum, [loca Galilææ.] signorum eius familiares. Lacum Tiberiadis, navigante Domino sanctificatum: & solitudinem, in qua multa populorum millia paucis saturata sunt panibus, & de reliquiis vescentium repleti sunt cophini duodecim tribuum Israel. [Lucæ 4.] Scandebat montem Thabor, in quo transfiguratus est Dominus. [Iudic. 4.] Adspiciebat procul montes Hermon & Hermoniim, & campos latissimos Galilææ, in quibus Sisara & omnis exercitus eius, Barach vincente, prostratus est. Torrens Cison, qui mediam planitiem dividebat, & oppidum iuxta Naim, in quo viduæ suscitatus est filius, monstrabatur. [Lucæ 7.] Dies me prius quam sermo deficiet, si voluero cuncta percurrere, quæ Paula venerabilis fide incredibili peruagata est.

### Annotata

**S. Hieronymus in prologo Amos Prophetæ: Fuit de oppido Thecue, quod sex millibus ad Meridianam plagam ab est a sancta Bethleem; vt ad eius vitam dicemus 31. Martij. agit de eo oppido Quaresmius lib. 6. pereg. 3. cap. 8. Adrichomius in tribu Iuda nu. 236. qui sequentia omnia loca satis perspicue exponunt.**

**Colitur S. Iosue, siue Iesus, 1. Septemb.**

**De Eleazar, eiusq; filio Phinees, sanctissimis Hebræorum Sacerdotibus, agemus 1. Iulij.**



**De S. Photina Samaritana agemus 20. Martij.**

**Samaritani Dosithei dicti, a Dositheo quodam. De eorum erroribus ex Epiphanio & aliis agit Baronius in apparatu Annalium num. 13.**

**Colitur S. Eliseus Propheta 14. Iunij.**

**S. Abdias 19. Nouemb.**

## **CAPVT V. Iter in Ægyptum.**

[19] Transibo ad a Ægyptum, & inter Soccoth atque fontem Samsom, quem de molari maxillæ dente produxit, subsistam parumper, & arentia ora colluam, vt refocillatus videam Morasthim, sepulcrum quondam Michææ Prophetæ, nunc ecclesiam; & ex latere derelinquam Choræos, & Gethæos, Maresa, Idumæam, [Proficiscitur in Ægyptum:] & Lachis: & per arenas mollissimas, pergentium vestigia subtrahentes, latamque eremi vastitatem, veniam ad Ægypti fluuium Sior, qui interpretatur turbidus: & quinque Ægypti transeam ciuitates, quæ loquuntur lingua Chananitide, & terram Gessen, & campos Taphneos, in quibus fecit Deus mirabilia: & vrbem No, quæ postea versa est in Alexandriam: & opidum Domini Nitriam, in quo purissimo virtutum nitro sordes lauantur quotidie plurimorum. [Iudic. 15. 19.] Quod cum vidisset, occurrente sibi sancto ac venerabili Episcopo Isidoro Confessore, & turbis innumerabilibus monachorum, ex quibus multos sacerdotalis & Leuiticus sublimabat gradus: lætabatur quidem ad gloriam Domini, sed se indignam tanto honore fatebatur. Quid ego narrem Macarios, Arsatas, Serapionas, & reliqua columnarum Christi nomina? cuius non intrauit cellulam? [inuisit cellulas sanctorum monachorum:] quorum pedibus non aduoluta est? Per

singulos Sanctos Christum se videre credebat: & quidquid in illos contulerat, in Dominum se contulisse lætabatur. Mirus ardor, & vix in femina credibilis fortitudo. Oblita sexus & fragilitatis corporeæ, inter tot millia monachorum cum puellis suis habitare cupiebat: & forsitan, cunctis eam suscipientibus, impetrasset, ni maius sanctorum locorum retraxisset desiderium.

[20] Atque propter feruentissimos æstus de Pelusio Maimam navigatione perueniens, tanta velocitate reuersa est, vt auem putares. Nec multo post in sancta Bethlehem mansura perpetuo, angusto per triennium mansit hospitio, donec extrueret cellulas ac monasteria, & diuersorum peregrinorum iuxta viam conderet mansiones, in qua Maria & Ioseph hospitium non inuerant. [condit monasteria in Bethlehem.]

## CAPVT VI.

### Paulæ Christianæ virtutes.

[21] Hucusque iter eius descriptum sit, quod cum multis virginibus & filia comite peragravit. Nunc virtus latius describatur, quæ ipsius propria est, & in qua exponenda, Deo iudice ac teste, profiteor me nihil addere, nihil in maius attollere more laudantium; sed, ne rerum excedam fidem, multa detrachere, & ne apud detractores & genuino me semper dente rodentes fingere puter, & cornicem Æsopi alienis coloribus adornare. Quæ prima Christianorum virtus est, tanta se humilitate deiecit, [Eius humilitas:] vt qui eam non vidisset, & pro celebritate nominis videre gestisset, ipsam esse non crederet, sed ancillarum vltimam: & cum frequentibus choris Virginum cingeretur, & veste, & voce, & habitu, & incessu minima omnium erat.

[22] Numquam post viri mortem vsque ad diem dormitionis suæ cum vlllo comedit viro, [periculorum fuga:]

quamuis eum sanctum, & in pontificali sciret culmine constitutum. Balneas, nisi periclitans, non adiit. Mollia, etiam in grauissima febre, [Strati ratio:] lectuli strata non habuit: sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat: si tamen illa quies dicenda est, quæ iugibus pene orationibus dies noctesque iungebat, illud implens de Psalterio: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. [Psal. 6. 7.] [assiduus fletus:] In qua fontes crederes lacrymarum: ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes ream.

[23] Cumque a nobis crebrius moneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpe depinxi. [pœnitentiæ studium:] Affligendum corpus, quod multis vacauit deliciis. Longus risus, perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda. Quæ viro & seculo placui, nunc Christo placere desidero. Si inter tales tantasque virtutes castitatem in illa voluero prædicare, [castitas:] superfluus videat: in qua etiam cum sæcularis esset, omnium Romæ matronarum exemplum fuit: quæ ita se gessit, vt numquam de illa etiam maledicorum quidquam auderet fama confingere.

[24] [benignitas:] Nihil animo eius clementius, nihil erga humiles blandius fuit. Non appetebat potentes: nec tamen superbos & gloriolam quærentes, fastidio despiciebat. Si pauperem videbat, sustentabat: si diuitem, ad benefaciendum hortabatur. [liberalitas:] Liberalitas sola excedebat modum. Et vsuras tribuens, versuram quoque sæpius faciebat, vt nulli stipem rogantium denegaret. Fateor errorem meum: cum in largiendo esset profusior, arguebam, illud proferens de Apostolo: Non vt aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate in

hoc tempore, vt vestra abundantia sit ad illorum inopiam, & illorum abundantia sit ad vestram inopiam. [2. Cor. 8. 13.] Et hoc de Euangelio Saluatoris: Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. [Lucæ 3. 11.] Et providendum esse, ne quod libenter faceret, semper facere non posset: multaque huiuscemodi, quæ illa mira verecundia & sermone parcissimo dissoluebat, testem inuocans Deum, se pro illius nomine cuncta facere: & hoc habere voti, vt mendicans ipsa moreretur: [amor paupertatis:] vt vnum numum filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena sindone inuolueretur. Ad extremum sic inferebat: Ego si petiero, multos inueniam qui mihi tribuant: iste mendicans si a me non acceperit, quæ ei possum etiam de alieno tribuere, & mortuus fuerit, a quo eius anima requiretur? Ego cautiorem in re familiari esse cupiebam: sed illa ardentior fide, toto Saluatori animo iungebatur, & pauperem Dominum, pauper spiritu sequebatur, reddens ei quod acceperat, pauper pro ipso effecta. Denique consecuta est quod optabat, & in grandi ære alieno filiam dereliquit, quod hucusque debens, non suis viribus, sed Christi se confidit misericordia reddituram.

[25] Solent pleræque matronarum buccinatoribus suis dona conferre, & in paucos largitate profusa, manum a ceteris retrahere: quo illa omnino carebat vitio. Ita enim singulis suam pecuniam diuidebat, [eleemosynæ:] vt singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Nemo ab ea pauperum vacuus reuersus est. Quod obtinebat, non diuitiarum magnitudine, sed prudentia dispensandi; illud semper replicans: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. [Matth. 5. 7.] Et: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. [Eccli. 3. 33.] Et: Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in aeterna tabernacula. [Lucæ 16. 9.] Et: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. [Lucæ 11. 41.] Et verba

Danielis, Regem Nabuchodonosor monentis, vt eleemosynis redimeret peccata sua. [Dan. 4. 24.] Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra & seculo transituri sunt: sed in viuis lapidibus, qui voluntur super terram, de quibus in Apocalypsi Ioannis, ciuitas magni Regis extruitur: quos in sapphirum, & smaragdum, & iaspidem, & ceteras gemmas esse vertendos, Scriptura commemorat. [Apoc. 21., Isa. 54. 11. & 12.]

[26] Verum hæc possunt esse communia cum multis, & scit diabolus, non in summo virtutum culmine posita. Vnde loquitur ad Dominum, post amissam lob substantiam, post euersam domum, post liberos interfectos: Corium pro corio, & omnia quæ habuerit homo, dabit pro anima sua. [Iob 2. 4.] Sed extende manum tuam, & tange ossa eius & carnes, nisi in faciem benedixerit tibi. Scimus plerosque dedisse eleemosynam, sed de proprio corpore nihil dedisse: porrexisse egentibus manum, sed carnis voluptate superatos: dealbasse ea quæ foris erant, & intus plenos fuisse ossibus mortuorum. At non Paula talis: quæ tantæ continentiæ fuit, vt prope mensuram excederet, & debilitatem corporis nimis ieiuniis ac labore contraheret. [ieiunia & abstinentia.] Quæ, exceptis diebus festis, vix oleum in cibo caperet: vt ex hoc vno æstimetur, quid de vino & liquamine, piscibus & lacte, & melle, & ouis, & reliquis, quæ gustui suauia sunt, iudicarit. In quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant: & si his ventrem ingurgitauerint, tutam pudicitiam suspicantur.

## **CAPVT VII.**

### **Aduersorum inuicta perpessio.**

[27] Semper quidem virtutes sequitur inuidia, feriuntque summos fulgura montes. Nec mirum, si hoc de hominibus loquar, cum etiam Dominus noster Pharisæorum zelo sit crucifixus, & omnes Sancti æmulos habuerint: in Paradiso

quoque serpens fuerit, [Patitur amulos:] cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Suscitauerat ei Dominus Adad Idumæum, qui eam colaphizaret, ne se extolleret: & quasi quodam stimulo carnis sæpius admonebat, ne magnitudo virtutum altius raperet, & altarum vitiis feminarum se in excelso crederet constitutam. [3. Reg. 13. 14.] Ego aiebam, liori esse cedendum, & dandum insanicæ locum: quod fecisset Iacob in fratre suo Esau, & David in pertinacissimo inimicorum Saul: quorum alter in Mesopotamiam fugerit, alter se Allophylis tradiderit, malens hostibus, quam inuidis subiacere. [Gen. 27. 1. Reg. 27.] At illa respondebat: Iuste hæc diceres, si diabolus contra seruos Dei & ancillas non vbique pugnaret, & ad omnia loca fugientes non præcederet: si non sanctorum locorum amore retinerer, & Bethlehem meam in alia reperire possem parte terrarum. [patientia inuidiam superat.] Cur enim non patientia liuorem superem? Cur non humilitate frangam superbiam, & percutienti maxillam offeram alteram? dicente Apostolo Paulo: Vincite in bono malum. [Rom. 12. 21. Actor. 5. 41.] Nonne Apostoli gloriabantur, quando pro Domino passi sunt contumeliam? Nonne ipse Saluator humiliavit se, formam serui accipiens, & factus est obediens Patri vsque ad mortem, & mortem crucis, vt nos sua passione saluaret? Iob nisi certasset, & vicisset in prælio, non accepisset coronam iustitiæ, nec audisset a Domino: Putas me aliter locutum tibi, quam vt appareres iustus? [Iob 33. 32.] Beati dicuntur in Euangelio, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. [Matth. 5. 10.] Secura sit conscientia, quod non propter peccata patiamur: & afflictio in seculo, materia præmiorum est.

[28] Si quando procacior fuisset inimicus, & vsque ad verborum iurgia prosilisset, illud Psalterij decantabat: Cum consisteret aduersum me peccator, obmutui & silui a bonis. [Psal. 38. 3.] Et rursus: Ego autem quasi surdus non audiebam, & quasi mutus non aperiens os suum. [Psal. 37.

14. *ibid.* 15.] Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes. In tentationibus, Deuteronomij verba voluebat, Tentat vos Dominus Deus vester, [In tentatione verbis Scripturæ se animat:] vt sciat si diligatis Dominum Deum vestrum de toto corde vestro, & de tota anima vestra. In tribulationibus & angustiis, Isaiaë replicabat eloquia: Qui ablactati estis a lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem exspectate, spem super spem: adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. [Deut. 13. 3. Isa. 28. 9.] Et Scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat, ablactatorum esse, eorum scilicet qui ad virilem ætatem peruenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, vt spem super spem mereantur accipere: scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit. [Rom. 5. 3.] Et: Quod si is qui foris est, homo noster corrumpatur: ille qui intus est, innouetur: & inpræsentiarum leue & momentaneum tribulationis vestræ, æternæ gloriæ pondus operatur in vobis, non adspicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. [2. Cor. 4. 16.] Nec longum fore tempus, etiamsi humanæ impatientiæ tardum videatur, quin Dei statim videatur auxilium, dicentis: Tempore opportuno exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. [Isaiaë 49. 8.] Nec dolosa labia & linguas iniquorum esse metuendas, cum Domino adiutore lætemur, & ipsum debeamus audire per Prophetam monentem: Nolite timere opprobria hominum, & blasphemias eorum ne metueritis. [Isa. 51. 7.] Sicut enim vestimentum, sic comedit eos vermis: & sicut lanam sic deuorauit eos tineæ. [Luccæ 21. 19. Rom. 8. 18.] Et: Per patientiam vestram possidebitis animas vestras. Et: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et alibi: Tribulationem super tribulationem sustinete, vt patienter agamus in omnibus,

quæ accidunt nobis. Patiens enim vir, multum prudens: qui autem pusillanimis est, vehementer insipiens.

[29] In languoribus & crebra infirmitate dicebat: Quando infirma sum, tunc fortis sum. [2. Cor 12. 10. 2 Cor. 4. 7.] Et: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, & corruptium hoc vestiatur incorruptione. Et iterum: [qui tolerarit ægritudinem,] Sicut superabundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat & consolatio. Ac deinde: Vt socij passionum estis, sic eritis & consolationis. In mærore cantabat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? [1. Cor. 1. 5. ibid. v. 7. Psa. 41. 42.] Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus. [mærorem,] In periculis loquebatur: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. [Luc. 9. 23.] [pericula,] Et iterum: Qui vult animam suam saluam facere, perdet eam. [ibid. v. 24.] Et: Qui perdiderit animam suam propter me, saluam eam faciet. Quando dispendia rei familiaris & eversio totius patrimonij nuntiabatur, aiebat: [bonorum iacturam,] Quid enim prodest homini, si totum mundum lucrifecerit, & animæ suæ damnum habuerit? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? [Matth. 16. 26.] Et: Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & reuertar illuc. [Iob 1. 2.] Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Et illud: Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. [1. Ioan. 2. 15. 16. 17.] Quoniam omne quod in mūdo est, desiderium carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ huius, quæ non est ex Patre, sed ex mundo. Et, Mundus transit, & concupiscentia eius. Scio ei scriptas infirmitates grauissimas liberorum, & maxime Toxotij sui, quem diligebat plurimum: cumque illud virtute complexset, [morbum filij,] Turbata sum, & non sum locuta; in hæc verba prorupit: Qui amat filium aut filiam plus quam me, non est me dignus. [Psal. 76. 5. Matth. 10. 37. Psa. 78. 11.]



**Et orans ad Dominum, loquebatur: Posside Domine filios mortificatorum, qui pro te quotide mortificant corpora sua.**

**[30] Noui susurronem quemdam (quod genus hominum perniciosissimum est) quasi beneuolum nuntiasse, [iudicia eam stultam dicentium:] quod pro nimio feruore virtutum quibusdam videretur insana, & cerebrum illius dicerent confouendum. Cui illa respondit: Theatrum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. [1. Cor. 4. 9., 1. Cor. 1. 10., Psal. 68. 6., Psa. 70. 7.] Et: Nos stulti propter Christum, sed stultum Dei sapientius est hominibus. Vnde & Saluator loquitur ad Patrem: Tu scis insipientiam meam. Et iterum: Tamquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. [Psal. 72. 23., Marc. 3. 21., Ioan. 8. 48., Matth. 12. 24., 2. Cor. 1. 12., Ioan. 15. 19.] Quem in Euangelio & propinqui quasi mentis impotem ligare cupiebant, & aduersarij sugillabant, dicentes: Dæmonium habet, & Samaritanus est. Et: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Sed nos audiamus Apostolum cohortantem: Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiae nostræ: quoniam in sanctitate & sinceritate, & in gratia Dei conversati sumus in mundo. Et Dominum dicentem ad Apostolos: Ideo mundus odit vos, quoniam non estis de mundo. Si enim essetis de mundo, amaret utique mundus quod suum erat. Et ad ipsum Dominum verba vertebat: Tu nosti cordis abscondita, & hæc omnia venerunt super nos, nec sumus obliti tui, neque inique egimus in testamento tuo, nec auersum est retrorsum cor nostrum. [Psal. 43. 22.] Et: Propter te mortificati sumus tota die: reputati sumus ut oues occisionis. [Rom. 8. 36. Psal. 117. 6. Prou. 7. 2.] Sed Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo. Legi enim: Fili, honora Dominum, & confortaberis, & extra Dominum nullum timueris.**

**[31] [inimicos superat armatura Christi.] His & talibus testimoniis, quasi armatura Dei, & aduersus omnia quidem vitia, sed præcipue instruebat se contra inuidiam sæuientem: & patiendo iniurias, furorem rabidi pectoris mitigabat. Denique vsque ad diem mortis, & huius patientia, & aliorum zelus omnibus patuit: qui suum rodit auctorem, & dum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio furore bacchatur.**

### **CAPVT VIII. Virginum institutio.**

**[32] Dicam & de ordine monasterij, quomodo Sanctorum continentiam in suum verterit lucrum. Seminabat carnalia, vt meteret spiritualia: dabat terrena, vt cælestia tolleret: breuia concedebat, vt pro his æterna mutaret. Post virorum monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures Virgines, quas e diuersis provinciis congregarat, tam nobiles, quam medijs, & infimi generis, in tres turmas a monasteriaque diuisit: ita dumtaxat, [Virgines in 3. turmas distribuit:] vt in opere & in cibo separatæ, psalmodijs & orationibus iungerentur. Post Alleluia cantatum (quo signo vocabantur ad collectam) nulli residere licitum erat: sed prima, seu inter primas veniens, ceterarum opperiebatur aduentum, pudore & exemplo ad laborem eas prouocans, [iis surgendi] non terrore. Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem psalterium cantabant: nec licebat cuiquam Sororum ignorare psalmos, & non de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere. [canendique canonem præscribit,] Die tantum Dominico ad ecclesiam procedebant, ex cuius habitabant latere: & vnumquodque agmen Matrem propriam sequebatur: atque inde pariter reuertentes, instabant operi distributo, & vel sibi vel ceteris indumenta faciebant. Si qua erat nobilis, non mittebatur de domo sua habere comitem, ne veterum actuum memor, & lasciuientis infantia errorum refricaret**

antiquum, & crebra confabulatione renouaret. Vnus omnium habitus. [& habitum:] Lintheamine ad tergendas solum manus utebantur. A viris tanta separatio, vt a spardonibus quoque eas seiungeret, ne vllam daret occasionem linguæ maledicæ, quæ Sanctos carpere solita est in solatium delinquendi.

[33] Si qua vel tardior veniebat ad psalmos, vel erat in opere pigrior, [delinquentes corrigit:] variis eam modis aggrediebatur. Si erat iracunda, blanditiis; si patiens, correptione, illud Apostoli imitans: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu lenitatis & mansuetudinis? [1. Cor. 4. 2.] Excepto victu & vestitu, nullam habere quidquam patiebatur, dicente Paulo: Habentes victum & vestitum, his contenti sumus: ne consuetudine plus habendi præberet locum auaritiæ, quæ nullis expletur opibus: [paupertatem tuetur:] & quanto amplius habuerit, plus requirit: & neque copia neque inopia minuitur. [1. Tim. 6. 8.] Iurgantes inter se, sermone lenissimo fœderabat. Lasciuientem adolescentularum carnem crebris & duplicatis frangebatur ieiuniis, [lasciuientes macerat:] malens eis stomachum dolere, quam mentem. Si vidisset aliquam comptiorem, contractione frontis & vultus tristitia arguebat errantem, dicens, munditiam corporis atque vestitus, animæ esse immunditiam: & turpe verbum atque lasciuum numquam de ore virgineo proferendum: quibus signis libidinosus animus ostenditur, & per exteriorem hominem interioris hominis vitia demonstrantur. Quam linguosam, [rixis deditas castigat:] garrulam ac procacem, rixisque perspexerat delectari, & sæpius commonitam nolle conuerti, inter vltimas & extra conuentum Sororum ad fores triclinij orare faciebat, & separatim cibum capere: vt quam obiurgatio non correxerat, emendaret pudor. Furtum quasi sacrilegium detestabatur: & quod inter seculi homines vel leue putatur vel nihili, hoc in monasteriis grauissimum dicebat esse delictum.

**[34] Quid memorem clementiam & sedulitatem in egrotantes, quas miris obsequiis & ministeriis confouebat? [ægrotos fouet,] Cumque aliis languentibus large præberet omnia, & esum quoque exhiberet carniū; [in se seuera:] si quando ipsa ægrotasset, sibi non indulgebat, & in eo inæqualis videbatur, quod in aliis clementiam, in se duritiam commutabat. Nulla iuuenum puellarum sano & vegeto corpore tantæ se dederat continentia, quantæ ipsa fracto & senili debilitatoque corpusculo. Fateor, in hac re pertinacior fuit, vt sibi non parceret, & nulli cederet admonenti. Referam, quod expertus sum. Mense Iulio feruentissimis æstibus incidit in ardorem febris, & post desperationem cum Dei misericordia respirasset, & medici persuaderent, ob refectionem corporis vino opus esse tenui & parco, ne aquam bibens, in hydropem verteretur, & ego clam beatum Papam Epiphanium rogassem, vt eam moneret, imo compelleret vinum bibere; [vinum etiam ægra non admittit:] illa, vt erat prudens & solertis ingenij, statim sensit insidias: & subridens, meum esse quod ille diceret, intimauit. Quid plura? Cum beatus Pontifex post multa hortamenta exisset foras, quærenti mihi quid egisset, respondit: Tantum profeci, vt seni homini pene persuaserit, ne vinum bibam. Hæc refero, non quod inconsideranter & vltra vires sumpta onera probem, monente Scriptura, Super te onus ne leuaueris; sed quod mentis eius ardorem, & desiderium fidelis animæ, ex hac quoque probare velim perseuerantia, decantantis: Sitiuit anima mea in te, quam multipliciter tibi caro mea! [Psal. 62. 2.]**

**[35] Difficile est modum tenere in omnibus: & vere iuxta philosophorum sententiam. Quod nos vna & breui sententiola exprimere possumus, Ne quid nimis. [sentit suorum funera.] Quæ in contemptu ciborum tantam habebat pertinaciam, in luctu mitis erat, & suorum mortibus frangebatur, maxime liberorum. Nam & in viri &**

filiarum dormitione semper periclitata est: & cum os stomachumque signaret, & matris dolorem crucis niteretur impressione lenire, superabatur affectu, & credulam mentem, parentis viscera consternabant: animoque vincens fragilitate corporis vincebatur. Quam semel languor arripiens, longo tempore possidebat, vt & nobis inquietudinem, & sibi discrimina offeret: in quo illa lætabatur, per momenta commemorans: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? [Rom. 7. 24.] Dicat prudens lector, pro laudibus me vituperationem scribere. Testor Iesum, cui illa seruiuit, & ego seruire cupio, me vtramque in partem nihil fingere, sed quasi Christianum de Christiana, quæ sunt vera proferre, id est, historiam scribere, non panegyricum; & illius vitia, aliorum esse virtutes. Vitia loquor, secundum animum meum, & omnium Sororum ac Fratrum desiderium, qui illam diligimus, & absentem quærimus.

[36] Ceterum illa impleuit cursum suum, fidemque seruauit, & nunc fruitur corona iustitiæ, [mercedem laborum æternam acquirit.] sequiturque Agnum quocumque vadit. Saturatur, quia esuriuit, & læta decantat: Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. O beata rerum commutatio! fleuit, vt semper rideret. [Psal. 47. 9.] Despexit lacus contritos, vt fontem Dominum reperiret. Vestita cilicio est, vt nunc albis vestimentis vteretur, & diceret: Scidisti saccum meum, & induisti me lætitia. Cinerem sicut panem manducabat, & potionem suam cum fletu miscebat, dicens: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, vt in æternum pane Angelorum vesceretur, & caneret: Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. [Ps. 29. 12., Psal. 41. 4., Psal. 33. 9., Psal. 44. 1.] Et: Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Et Isaïæ, imo Domini per Isaïam, in se cerneret verba compleri: Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt; vos autem esurietis: ecce qui seruiunt mihi, bibent, vos autem

sitietis. [Isa. 65. 13.] Ecce qui seruiunt mihi, lætabuntur; vos autem confundemini. Ecce qui seruiunt mihi, exultabunt; vos autem clamabitis ob dolorem cordis, & propter contritionem spiritus ululabitis.

### **Annotata**

**MS. S. Max. per monasteria. An plane separata fuerint harum sanctarum Virginum domicilia; an intra maius aliquod ædificium aut septum, seiuncta habitacula operumque officinæ, sub suis singulæ Præfectis ac Matribus, vt infra dicitur, disputatum ante.**

**S. Hieronymus epist. 23. ad Marcellam de ægrotante Blæsilla ita loquitur: Ad orandum festina consurgit, & tinnula voce ceteris Alleluia præripiens, prior incipit laudare Dominum suum. Hac ergo voce conuocabantur.**

**Synaxim, seu conuentum diuini officij, idem Hieronymus collectam vocat in regula S. Pachomij a se Latine versa.**

**Addunt aliqui: id est, modus virtus est, vitium nimietas reputatur: quæ paræmiæ Græcæ explicatio est.**

### **CAPVT IX.**

#### **Odium hæreticorum. studium sacræ Scripturæ.**

**[37] Dixeram, lacus eam semper fugisse contritos, vt fontem Dominum reperiret, vt posset læta cantare: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. [Psal. 41. 1.] Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Tangam ergo breuiter, quomodo hæreticorum cœnosos deuitauerit lacus, & eos instar habuerit ethnicorum. Quidam veterator callidus, atque, vt sibi videbatur, doctus & sciolus, [Ab hæretico Origenista varia de controuersiis fidei interrogata,] me nesciente cœpit ei proponere quæstiones, & dicere: Quid peccauit**

infans, vt a dæmone corripitur? In qua ætate resurrexerit? Si in ipsa qua morimur, ergo nutricibus post resurrectionem opus erit: sin in altera, nequaquam erit resurrectio mortuorum, [ria de controuersiis fidei interrogata,] sed transformatio in alios. Diuersitas quoque sexus maris ac feminæ erit, aut non erit? Si erit, sequentur & nuptiæ, & concubitus, sed & generatio: si non erit, sublata diuersitate sexus, eadem corpora non resurgent: aggrauat enim terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: sed tenuia erunt & spiritualia, dicente Apostolo: Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale. [1. Cor. 15. 44.] Ex quibus omnibus probare cupiebat, rationales creaturas ob quædam vitia & antiqua peccata, in corpora esse delapsas: & pro diuersitate & meritis peccatorum, tali vel tali conditione generari, vt vel corporum sanitate gauderent, & parentum diuitiis ac nobilitate, vel in morbidas carnes & domus inopum venientes, pœnas pristinorum luerent delictorum, & præsentis seculo atque corporibus quasi carcere clauderentur.

[38] [S. Hieronymum consulit:] Quod cum audisset, & ad me retulisset, indicans hominem, mihique incubisset necessitas nequissimæ viperæ ac mortiferæ bestiæ resistendi, de quibus Psalmista commemorat, dicens: Ne tradas bestiis animas confitentium tibi. & Increpa Domine bestias calami, qui scribentes iniquitatem, loquuntur contra Dominum mendacium, & eleuant in excelsum os suum; conueni hominem, & orationibus eius, quam decipere nitebatur, breui interrogatione conclusi, dicens: Vtrum crederet futuram resurrectionem mortuorum, [is hæreticum confutat,] an non? [Psal. 73. 19. & 67. 31.] Qui cum se credere respondisset; intuli: Eadem resurgent corpora, an altera? Cum dixisset, Eadem; sciscitatus sum: In eodem sexu, an in altero? Ad interrogata reticenti, & instar colubri huc atque illuc transferenti caput, ne feriretur; [probatque in resurrectione fore sexuum

distinctionem,] Quia, inquam, taces, ego mihi pro te respondebo, & consequentia inferam: Si non resurget mulier vt mulier, neque masculus vt masculus; non erit resurrectio mortuorum: quia sexus membra habet, membra autem totum corpus efficiunt. Si autem sexus & membra non fuerint, vbi erit resurrectio corporum, quæ sine sexu non constant & membris? Porro si corporum non fuerit resurrectio, nequaquam erit resurrectio mortuorum. Sed & illud, quod de nuptiis obiicis: Si eadem membra fuerint, sequi nuptias, a Salvatore dissoluitur, dicente: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. [Matt. 22. 29.] In resurrectione enim mortuorum non nubent, neque nubentur, sed erunt similes Angelorum. Vbi dicitur, Non nubent, neque nubentur, sexuum diuersitas demonstratur. Nemo enim de lapide & ligno dicit, Non nubent, neque nubentur, quæ naturam nubendi non habent: sed de iis, qui possint nubere, & gratia Christi ac virtute non nubant. Quod si opposueris: Quomodo ergo erimus similes Angelorum, cum inter Angelos non sit masculus & femina? breuiter ausculta: Non substantiam nobis Angelorum, sed conuersationem & beatitudinem Dominus repromittit. Quomodo & Ioannes Baptista, antequam decollaretur, Angelus appellatus est; & omnes Sancti ac virgines Dei, etiam in isto seculo vitam in se exprimunt Angelorum. Quando enim dicitur, Eritis similes Angelorum; similitudo promittitur, non natura mutatur.

[39] Simulque responde, quomodo illud interpreteris, quod Thomas Domini resurgentis tetigerit manus, & viderit lancea latus eius perforatum? [& aliorum membrorum,] Et Petrus in littore stantem viderit Dominum, & partem assi piscis, ac fauum mellis comedentem? Qui stabat, profecto habebat pedes. Qui monstrauit latus vulneratum, utique & ventrem & pectus habuit, sine quibus non sunt latera ventri & pectori cohærentia. Qui locutus est, lingua & palato ac dentibus loquebatur. Sicut enim plectrum chordis, ita lingua illiditur dentibus, & vocalem reddit



sonum. Cuius palpatæ sunt manus, consequenter & brachia habuit. Cum igitur omnia membra habuisse dicatur, necesse est, vt totum corpus habuerit, quod conficitur ex membris: non vtique femineum, sed virile, id est, eiusdem sexus, in quo mortuus est. Quod si obtenderis, Ergo & nos post resurrectionem comedemus? Et quomodo clausis ingressus est ianuis, contra naturam pinguium & solidorum corporum? Audies: Noli propter cibum, resurrectionis fidem in calumniam trahere. Nam & archisynagogi filiæ resuscitatae iussit cibum dari, & Lazarus quatrduanus mortuus, cum ipso scribitur inisse conuiuium, ne resurrectio eorum phantasma putaretur. [Marc. 5. 43., Ioan. 12. 2.] Sin autem clausis ingressus est ianuis, & idcirco spirituale & aëreum corpus niteris approbare; ergo & antequam pateretur, quia contra naturam grauiorum corporum super mare ambulauit, spirituale corpus habuit: & Apostolus Petrus, qui & ipse super aquas pendulo incessit gradu, spirituale corpus habuisse credendus est, cum potentia magis & virtus ostendatur Dei, quando fit aliquid contra naturam. [Matt 14. 25. & 29.] Et vt scias, in signorum magnitudine non naturæ mutationem, sed Dei omnipotentiam demonstrari: qui ambulabat fide, cœpit infidelitate mergi, nisi eum manus Domini subleuasset, dicentis: Modicæ fidei, quare dubitasti? Miror autem te obdurare frontem, loquente Domino: Infer digitum tuum huc, & tange manus meas: & porrige manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. [Ioan. 20. 27.] Et alibi: Videte manus meas, & pedes meos, quia ipse ego sum. [Luc. 24. 39.] Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Ossa audis, & carnem, & pedes, & manus: & globos mihi Stoicorum, atque aërea quædam deliramenta confingis.

[40] Porro si quæris, cur infans a dæmone corripiatur, qui peccata non habuit; aut in qua ætate resurrecturi simus,

cum diuersa ætate moriamur; ingratis suscipies, Iudicia Dei abyssus multa. Et: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! [Psal. 35. 7, Rom. 11. 33.] Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Ætatum autem diuersitas non mutat corporum veritatem. Cum enim quotidie corpora nostra fluant, & aut crescant aut decrescant; ergo tot erimus homines, quot quotidie commutamur? aut alius fui cum decem annorum essem, alius cum triginta, alius cum quinquaginta, alius iam toto cano capite sum? Igitur, iuxta Ecclesiarum traditiones & Apostolum Paulum, illud est respondendum, [staturamque perfectam.] quod in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi resurrecturi sumus, in qua & Adam Iudæi conditum autumant, Dominum Salvatorem legimus surrexisse: & multa alia, quæ de vtroque Testamento in suffocationem hæretici protuli. [Ephes. 4. 13.]

[41] Ex quo die ita cœpit hominem detestari, & omnes qui eiusdem dogmatis erant, [Paula hæreticos auersatur:] vt eos voce publica hostes Domini proclamaret. Et hæc dixi, non vt breuiter hæresim confutarem, cui multis voluminibus respondendum esset; sed vt fidem tantæ femine ostenderem, quæ maluit inimicitias hominum subire perpetuas, quam Dei offensam amicitiiis noxiis prouocare.

[42] Dicam ergo, vt cœperam. Nihil ingenio eius docilius fuit. Tarda erat ad loquendum, velox ad audiendum, memor illius præcepti: Audi Israël, & tace. Scripturas sanctas tenebat memoriter. [Eccli. 32. 9.] Et cum amaret historiam, & hoc veritatis diceret fundamentum, magis tamen sequebatur intelligentiam spiritualem, & hoc culmine ædificationem animæ protegebat. [curat a S. Hieronymo sibi Scripturas exponi:] Denique compulit me, vt vetus & nouum Instrumentum cum filia, me disserente,

perlegeret. Quod propter verecundiam negans, propter assiduitatem tamen & crebras postulationes eius præstiti, vt docerem quod didiceram, non a meipso, id est, a præsumptione pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesiæ viris. Sicubi hæsitabam, & nescire me ingenuè confitebar, nequaquam mihi voluit acquiescere: sed iugi interrogatione cogebat, e multis variisque sententiis quæ mihi videretur probabilior indicarem. Loquar & illud, quod forsitan æmulis videatur incredibile: Hebræam linguam, quam ego ab adolescentia multo labore ac sudore ex parte didici, [Hebraicam linguam discit.] & infatigabili meditatione non desero, ne ipse ab ea deserar, discere voluit, & consecuta est: ita vt psalmos Hebraice caneret, & sermonem absque vlla Latinæ linguæ proprietate personaret. Quod quidem vsque hodie in sancta filia eius Eustochio cernimus: quæ ita semper adhæsit matri, & eius obediuit imperiis, vt numquam absque ea cubaret, numquam procederet, numquam cibum caperet, ne vnum quidem nummum haberet potestatis suæ, sed & paternam & maternam substantiolam a matre distribui pauperibus lætaretur, & pietatem in parentem, hæreditatem maximam & diuitias crederet. Non debeo silentio præterire, quanto exultauerit gaudio, quod Paulam neptem suam, ex Læta & Toxotio genitam, imo voto & futuræ virginitatis repromissione conceptam, audierat in cunis & crepitaculis balbutiente lingua Alleluia cantare, [Nurum & neptem sui propositi imitatrices habet.] auicæque & amitæ nomina dimidiatis verbis frangere. In hoc solo patriæ desiderium habuit, vt filium, nurum, neptem renuntiasset seculo, & Christo seruire cognosceret. Quod & impetrauit ex parte. Nam neptis Christi flammeo reservatur, nurus æternæ se tradens pudicitia, socrus opera, fide & eleemosynis sequitur, & Romæ conatur exprimere, quod Ierosolymis illa compleuit.

### Annotata

**Palladium hunc fuisse conicit Baronius an. 388. citatus hic a Rosveydo. [Palladius S. Hieronymo inimicus,] Is certe (vt ipsemet in Historia Lausiaca scribit cap. 77.) vixit cum Posidonio Thebano anno vno in Bethleem. ex cuius ore de S. Paula, & S. Hieronymo, ita loquitur cap. 79. Ingenua quidem Paula, quæ eius (S. Hieronymi) curam gerit, præmoriatur, liberata ab eius inuidia. Vt autem arbitror propter hunc virum non habitabit vir sanctus in his locis, sed eius peruadet inuidia vel vsque ad proprium fratrem. Resque ita accidit, vt Paula scilicet ante S. Hieronymum e vita discederet. Hic vero præcipue effecit ne Origenistæ, quos Palladius vnice sanctos credebat, in istis locis habitarent. S. Epiphanius de Palladio, tunc in Palæstina habitante, hæc scribit ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum epist. 60. apud S. Hieronymum: Palladium vero Galatam, qui quondam nobis carus fuit, [Origenistæ.] & nunc misericordia Dei indiget, caue, quia Origenis hæresim prædicat & docet: ne forte aliquos de populo tibi credito ad perversitatem sui inducat erroris. Eam hauserat ab Euagrio Pontico, quocum (vt epist. 43. scribit) in Celiis in solitudine Nitricæ habitauit. Rediit inde in Palæstinam circiter an. Ch. 400.**

**Censebant Stoici, bonorum animas post hanc vitam in cælestibus globis habitare. Vide Iustum Lipsium Physiologicæ lib. 3. Dissert. 14.**

**Idem de obitu Blæsillæ: Ita Hebrææ linguæ vicerat difficultates, vt in discendis canendisque Psalmis cum matre contenderet.**

**Læta filia Albini ethnici hominis, & gentilitiæ superstitionis Pontificis, qui pia conuersatione Toxotij generi & Lætæ filiæ factus est Christianus, Vrbe vniuersa admirante, ipsoque S. Hieronymo, quod præsentem & gaudentem auo paruula adhuc Paula lingua balbutiens Christi Alleluia resonaret, quod Virginem Christi in suo**

gremio nutriret senex iam candidatus fidei, &c. ita ipse Hieronymus epist. 7. ad Lætam de institutione filiæ Paulæ.

Hieronymus epist. 7. de promissione Martyris nasceretur. & prius Christo consecrata quam genita. quam ante votis, quam vtero conceperat mater.

[ Flammeum.] Flammeum veli genus est, quo novas nuptas amiciri Romæ mos erat, fausto omine indissolubilis coniugij. Ita iunior Paulla Christo destinata sponsa, in Palæstinam tandem delata est, atque in monasterio Bethlehemitico apud Eustochium educata, cum eadem ibidem vixit.

## CAPVT X.

### Obitus. sepultura.

[44] Quid agimus anima? cur ad mortem eius venire formidas? lamdudum prolixior liber cuditur, dum timemus ad vltima peruenire, quasi tacentibus nobis, & in laudibus illius occupatis, differri possit occubitus. Hucusque prosperis nauigauimus ventis, & crispantia maris a æquora labens carina sulcauit: nunc in scopulos incurrit oratio, & tumentibus fluctuum motibus præsens vtrique nostrum intentatur naufragium, ita vt cogamur dicere: Præceptor, saluos nos fac, perimus. Et illudi Exurge, vt quid obdormis Domine? Quis enim possit siccis oculis Paulam narrare morientem? Incidit in grauissimam valetudinem, imo quod optabat inuenit, vt nos desereret, & plenius Domino iungeretur. [Matth. 8. 25., Psa. 43. 23.] In quo languore Eustochij filiæ probata semper in matre pietas, magis ab omnibus comprobata est. [Ægrotat;] Ipsa assidere lectulo, flabellum tenere, sustentare caput, [sedulo ei ministrante Eustochio.] puluillum supponere, fricare pedes, manu stomachum confouere, mollia strata componere, aquam calidam temperare, mappulam

apponere, omnium ancillarum præuenire officia, & quidquid alia fecisset, de sua mercede putare subtractum. Quibus illa precibus, quibus lamentis & gemitu inter iacentem matrem & specum Domini discurrit, ne priuaretur tanto contubernio, ne illa absente viveret, ut eodem feretro portaretur? Sed o mortalium fragilis & caduca natura! & nisi Christi fides nos extollat ad cælum, & æternitas animæ promittatur, cum bestiis ac iumentis corporum vna conditio est! Idem occubitus iusto & impio, bono & malo, mundo ac immundo; sacrificanti & non sacrificanti. [Eccle. 9. 2.] Sicut bonus, ita & qui peccat: sicut qui iurat; ita & is qui iuramentum metuit. Similiter & homines & iumenta in fauillam & cinerem dissoluuntur.

[45] Quid diu immoror, & dolorem meum differendo facio longiorem? Sentiebat prudentissima feminarum adesse mortem, & frigente alia parte corporis atque membrorum, [anhelat ad cælum:] solum animæ teporem in sacro pectore palpitare: & nihilominus quasi ad suos pergeret, alienosque desereret, illos versiculos susurrabat: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. [Psal. 25. 8.] Et: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. [Psal. 83. 1.] Et: Elegi abiecta esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. [ibid. 11.] Cumque a me intorrogaretur, cur taceret, cur nollet respondere, an doleret aliquid; Græco sermone respondit, nihil se habere molestiæ, sed omnia quieta & tranquilla perspicere. [assidue orat:] Post hæc obmutuit, & clausis oculis, quasi iam mortalia despiceret, vsque ad expirationem animæ eosdem repetebat versiculos, ut quod dicebat, vix audire possemus: digitumque ad os tenens, crucis signum pingebat in labiis. [in supreme spiritu crucis signum sibi imprimit:] Defecerat spiritus, & anhelabat in mortem: animaque erumpere gestiens, ipsum stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini conuertebat. Aderant Ierosolymarum & aliarum

urbium Episcopi, & Sacerdotum inferioris gradus, ac Levitarum innumerabilis multitudo; omne monasterium, Virginum & monachorum chori repleuerant. Statimque ut audiuit sponsum vocantem: Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea; quoniam ecce hiems transit & recessit, pluuia abiit; sibi læta respondit: Flores visi sunt in terra, tempus sectionis aduenit. [Cant. 2. 10., Ps. 26. 13.] Et: [abit e vita.] Credo videre bona Domini in terra uiuentium.

[46] Ex hinc non ululatus, non planctus, ut inter seculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diuersis examina concrepabant: translataque Episcoporum manibus, [Honorifice Pontificum manibus cum lampadibus & cereis effertur.] & ceruicem feretro subiicientibus, cum alij Pontifices lampades cereosque præferrent, alij choros psallentium ducerent, in media ecclesia speluncæ Saluatoris est posita. Tota ad funus eius Palæstinarum urbium turba conuenit. Quem monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit? Quam virginum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegum putabant, qui non tali feminæ vltimum reddidisset officium. Viduæ & pauperes, in exemplum Dorcadis, vestes ab ea præbitas ostendebant. [Act. 9. 39.] Omnis inopum multitudo matrem & nutritiam se perdidisse clamabat. [Act. 9. 39.] Quodque mirum sit, nihil pallor mutauerat faciem: sed ita dignitas quædam & grauitas ora compleuerat, ut eam putares non mortuam, sed dormientem. Græco, Latino, Syroque sermone psalmi in ordine personabant: non solum triduo, donec & subter ecclesiam, & iuxta specum Domini conderetur: sed per omnem hebdomadam, cunctis qui venerant, suum funus & proprias credentibus lacrymas. Venerabilis Virgo filia eius Eustochium, quasi ablactata super matrem suam, abstrahi a parente non poterat: deosculari oculos, hæerere vultui, totum corpus amplexari, & se cum matre velle sepeliri.

[47] Testis est Iesus, ne vnum quidem nummum ab ea filiae derelictum, [magnum aes alienum reliquit.] sed, vt ante iam dixi, derelictum magnum aes alienum: &, quod his difficilius est, fratrum & sororum immensam multitudinem, quos & sustentare arduum, & abiicere impium est. Quid hac virtute mirabilius, feminam nobilissimae familiae, magnis quondam opibus, tanta fide omnia delargitam, vt ad egestatem pene vltimam perueniret? lactent alij pecunias, & in carbonam Dei aera congesta, funalibusque aureis dona pendentia. Nemo plus dedit pauperibus, quam quae sibi nihil reseruauit. Nunc illa diuitiis fruitur, & his bonis, quae nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Nos nostram vicem dolemus, & inuidere potius gloriae eius videbimur, si voluerimus diutius flere regnantem.

[48] Secura esto Eustochium, magna haereditate ditata es. Pars tua Dominus, & quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. [Deuota seruitus quotidianum martyrium.] Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed deuotae quoque mentis seruitus immaculata, quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de liliis. Vnde & in Cantico scribitur canticorum: Fratruelis meus candidus & rubicundus; & in pace, & in bello eadem praemia vincentibus tribuens. [Cant. 5. 10.] Mater, inquam, tua audiuit cum Abraham: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam ostendam tibi. [Gen. 12. 1.] Et per Ieremiam Dominum praecipientem: Fugite de medio Babylonis, & saluate animas vestras. [Ierem. 50. 8.] Haec autem exiit de terra sua, & vsque ad diem mortis suae non est reuersa in Chaldaeam: nec ollas Aegypti & iurulentias carnum desiderauit, sed choris comitata virgineis, cuius est Saluatoris effecta: de paruula Bethlehem caelestia regna conscendens, dicit ad veram Noemi: Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus. [Ruth 1. 16.]



[49] [Epilogus huius vitæ.] Hunc tibi librum ad duas lucubratiunculas, eodem quem tu sustines dolore, dictavi. Nam quotiescumque stylum figere volui, & opus exarare promissum, toties obriguerunt digiti, cecidit manus, sensus elanguit. Vnde & inculta oratio votum scribentis absque vlla elegantia & verborum lepore testatur.

[50] [Inuocat sanctam Paulam Hieronymus.] Vale, o Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Christo te sociant: præsens facilius, quod postulas, impetrabis. Exegi monumentum tuum ære perennius, quod nulla destruere possit vetustas. Incidi elogium sepulcro tuo, quod huic volumini subdidi, vt quocumque noster sermo peruenerit, te laudatam, te in Bethlehem conditam lector agnoscat.

### Titvlvs sepvlcri:

Scipio quam genuit, Pauli fudere parentes, [Epitaphium Paulæ.]

Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles,  
Hoc iacet in tumulo: Paulam dixere priores:  
Eustochij genitrix, Romani prima senatus,  
Pauperiem Christi & Bethlemtiica rura secuta est.

### In fronte spelvncæ:

Aspicias angustum præcisa rupe sepulcrum?  
Hospitium Paulæ est, cælestia regna tenentis.  
Fratrem, cognatos, Romam, patriamque relinquens,  
Diuitias, sobolem; Bethlemiti conditur antro.  
Hic præsepe tuum, Christe, atque hic mystica Magi  
Munera portantes, hominique Deoque dedere.

Dormiuit sancta & beata Paula, septimo Kalendarum Februariarum, tertia sabbati post solis occubitum. Sepulta est quinto Kalendum, earumdem, Honorio Augusto sexies

**& Aristæneto consulibus. Vixit in sancto proposito Romæ annos quinque, Bethlehem annos viginti. Omne vitæ tempus implevit annis quinquagintasex, mensibus octo, diebus viginti & vno.**